

impossibile fuit, cursum Solis maturare, aut è statione sua remotū promo-
vere, parent enim non invita & obaudiunt supremæ illi legi Sol, Luna & cæ-
tera sidera. Verum miracula nostro arbitratu nō sunt multiplicanda, præfer-
tim cū nulla urgeat necessitas, nec sufficiens causa reddi possit, quare istis in
locis & quidē isto tempore illis hominibus, quos vel avaritia & spes lucri ad
talia audenda coëgit. Et quātus futurus miraculorū numerus si in quavis re
insolita ex verarum causarum ignorantia miraculū pronasci cōcesserimus.

Th. XV. Cum igitur nec Hollandi in supputando & temporis ratione ob-
servanda erraverint, nec Terræ rotunditati vel tantillum detrabere patian-
tur argumenta solida & firma; frustra item latibulum in præpostero ortu &
occasu signorū Zodiaci per Zonam frigidam quæramus, nec deniq; ad mi-
raculum propriè sic dictum proclamare audeamus, quid reliquum sit,
quod de hac quæstione statui possit non immeritò dubitatur.

Th. XVI. Verum enimverò, quocunq; nos convertimus, nullum hinc præ-
sidium, nisi in solâ Refractione Luminarium & Stellarum repositum esse, vis-
demus. Refractiones a, de quibus nobis hoc loco sermo est, vocant Philoso-
phi, cum stellæ secundū speciē & imaginem suam supra Horizontem con-
spiciæ ce rnuntur, quæ tamen re ipsa suis corporibus infra eundem consti-
tutæ sunt. Hinc vulgò etiam innōtuit, certum pluviarum indicium esse,
quoties Sol maturior solito sub aurorâ assurgit. Fieri enim aliter nequit,
quin juxta Solis ascendentiæ regionem aër halitibus ac vaporibus elevatis
sit refertus, in quem Sol imaginem suam formamq; ad spectabilem immis-
sit, imprimè refringit atq; reflectit.

Th. XVII. Advocetur in consilium experientia rerum magistra, adjungan-
turq; oculares observationes & res erit manifestissima. Hoc enim est, quod
Mathematicorum hæud postremus Mastlinus per Radium Astronomicum
non rarò invenit uno eodemq; die minorem distantiam inter Venerem &
Solem in occiduo cardine suspensum quàm inter Venerem & Solem altius
elevatum & è vaporibus magis exemptum. Altitudo igitur Veneris in va-
poribus æquo major & amplior oculis præsentatur, adeoq; refractionum
consideratio in siderum observationibus sine gravi incommodo & errore
omitti vel negligi nequit.

Th. XVIII. Testantur etiam præcipui Optici Stellarum in Horizonte con-
sistentiū distantias ab elevato polo per armillarum adminiculum observa-
tas reperiri alias ab illis quas habent cum mediū cæli occupantes in illam
considerationem rapiuntur: Loca enim Stellarum apparentia altiora sunt
earum veris, adeoq; in almucantharæ vel parallelum polo viciniorem inci-
dunt, siquidem juxta Finientem major est vaporum densitas, quàm juxta
mediū cæli, unde etiā speciē visualem magis & potentius frāgit atq; extēdit.

XIX. Ex iisdem progignitur causis, experientia suffragante, quod stel-
larum magnitudines in Horizonte & medio cæli varient. Nā ubicunq; aër
hebetior visum inter & astra, intercedit, semper eorum species per densius
medium transvectæ crassiores deprehenduntur. Hinc *Cleomedes* ex *Posido-
nii* mēte dicit: Si fieri possit, ut per solidos parietes aut alia spectemus cor-
pora, ut in fabulis *Lynceus*, inusitata prorsus magnitudine Sol nobis appa-
reret

369